Anno 1220 pro se et heredibus donat Alberto praeposito clausuram terrae et vineae in Roncaliis pro remedio animae suae et quondam fratris sui Orlandi magistri, quam donationem facere proposuerat a multis annis pro remedio animarum parentum suorum[6].

At vero iam anno 1219 magister Tolosanus, apoplexia ictus, ut ex ipso Chronico discimus, post septem annos, sc. 1226 vita defunctus est.

Inde luce clarius apparet, Tolosanum ipsum res post hunc annum gestas, quae in Chronico leguntur, non potuisse narrare. Neque vero in ea tantum Chronici parte, quae res inde a Tolosani morte complectitur, sed etiam compluribus in locis, qui ad res illo vivente gestas spectant, leguntur quae Tolosano mortuo demum acciderant — optimo scilicet codice teste, de quo statim disseremus. Et haec post illa ab alio scriptore addita esse manifestum est. Quid quod, si accuratius priorem Chronici partem perlustraveris, permultis in locis invenies eadem verba, eundem stilum easdemque phrases, totam denique elocutionem, qualem pars post